



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome  
Controuersiarum Omnium huius Aeui  
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis  
Quadripertitis digestarum**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiae, 1624**

VI. An Res & Verba Sacramentorum sint immutabiliter determinata?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11726**

## QVÆSTIO VI.

*An Res & Verba Sacramentorum  
sint immutabiliter deter-  
minata?*

**L**VTHERVVS libr. de Captiuit. Babyl. cap. de Baptif. Sat esse ait, baptizari in nomine Domini: Imò su-  
scipi in nomine Domini, efi minister non det in no-  
mine Domini. Hoc tamen reuocauit anno 1535.

BRENTIUS tamen & ZVINGLIUS concepta verba  
floccipendunt. Plandè deteriores Gnosticis, qui etfi in-  
stituta mutant, sua tamen certa seruabant. Vide in  
Geneal. p. 3. q. 1.

**A**VTOR. I. Res & Verba Sacra-  
mentorū nouæ legis à Deo determinata  
sunt sic, vt mutare nefas sit, Additione  
vocis, aut Detractione, aut Mutatione  
synonymica, aut Corruptione syllabarū,  
vel Transpositione, vel Interruptione  
longiore. 2. Sat tamen est seruari sub-  
stantialem formæ integritatem, quæ in  
sensu ac significato verborum consistit.  
Accidētalis nil derogat veritati Sacramē-  
ti; nisi fiat studio nouum inuehendi ritū  
in Ecclesiam. Sic enim non foret inten-  
tio faciendi, quod facit Ecclesia.

**R**ATIONES euincunt. I. Quia cūm  
Sacramenta solum à Deo potuerint in-  
stitui; etiam formam, vt præcipuam par-  
tem, institutam esse necesse est: adeò vt  
non sit Sacramentum, cūm non fit,  
quod Deus instituit. 2. Materiam Sa-  
cramenti mutare nefas: ergo & formam.  
3. Verba Sacræ Scripturæ, ad significan-  
dum scripta, mutare nefas: grandius ergo  
mutare formalia Sacramenti ad Sancti-  
ficandum instituta.

4. Ita S. Patres. Augustinus libro 6.  
contra Donatistas, cap. 25. *Certa sunt  
verba Evangelica, sine quibus non potest con-  
secrari Baptismus.* Tertullianus libro de  
Baptismo. *Lex tingendi imposita est, & for-  
ma prescripta.*

## QVÆSTIO VII.

*Qualis Sacramentorum sit Ne-  
cessitas?*

**L**VTHERVVS Kemnitius in Exam. Titid. Sess. 7.  
Cap. 4. *Necessitatem Sacramentorum opponunt  
(Tridentini) iustificationi per solam Fidem. &c. Sicut  
non sequitur; Sacramenta ad salutem sunt necessaria; ergo  
non solus Christus suo merito nobis eam acquisiuit; ita  
non sequitur; Ergo non per solam fidem accipimus grati-  
am iustificationis. Plura eiusdem mendacia in Concili-  
um Tridentinum vide in meo Antipap. part. 3.  
quæst. 2.*

**L**VTHERVVS libr. de Captiuit. Babyl. cap. de Bapt.  
*Baptismus neminem iustificat, nec ulli prodest; sed Fides  
in Verbum promissionis.* In Ass. it. i. artic. *Nos dicimus,  
nec noui nec Veteris Testamenti Sacramenta, sed solam  
fidem iustificasse.* Et libro contra Cochlearum. *Non po-  
test vlla pars iustificationis tribui Baptismo.*

MELANCHTHON in Locis anno 1522. editis.  
*Non iustificat signa, vt Apostolus ait; Circumcisio ni-  
hil est ita Baptismus nihil est; participatio mensa Domi-  
ni nihil est.*

II. CALVINVS in Antid. Titid. ibid. sic  
calumniatur. *Boni Patres pro sua crassitie non  
aduertunt; quicquid nobis gratia per Sacramen-  
ta confertur, nihilominus fidei imputandum.*  
*Qui enim Fidem à Sacramentis separat, perin-  
de facit, ac si animam à corpore tolleret. Ergo  
quemadmodum Evangelij doctrinam non ex-  
cludimus, cum dicimus nos solà fide Christi  
gratiam adipisci: ita nec Sacramenta: quo-  
rum eadem ratio est; cūm Evangelij sint Si-  
gilla.*

Vna vtriusque calumniandi est sententia;  
Sacramenta non adeo esse necessaria, vt sine  
iis, facto, vel voto, salus nulli contingere  
queat; etfi vitia sint. Nam sola Fides iusti-  
ficare potest.

**A**VTOR. I. Nulla Sacramenta ha-  
bent absolutam necessitatem: quòd sine  
his saluare Deus valeat. Aliqua tamen  
necessitate præcepti, & medii sunt sim-  
pliciter necessaria; vt omnibus Baptif-  
mus; relapsis Pœnitentia: Ordo, Eccle-  
siæ; hic tamen non singulis. Quia Ioa. 3.

*Nisi*